



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

**Luxemburgi, MDCCXLII.**

XXXVII. Concessio Indulgentiæ plenariæ Christi fidelibus Italiæ, &  
Insularum adjacentum, divinam opem implorantibus pro liberatione  
Civitatis Candiæ, & Regni Cretæ ab oppressione Turcarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

XXXVII. Concesso Indulgentiæ plenariæ Christi fidelibus Italiæ, & Insularum adjacentium, divinam opem implorantibus pro liberatione Civitatis Candix, & Regni Cretæ ab oppressione Turcarum.

Edita An. D.  
1669.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

Quod jam pluries indictis publicè precibus, à Domino exercituum humili, devotoque cordis affectu poposcimus, ut Civitatem Candix Regni Cretæ Metropolim diutina, vehementique impiorum Christiani nominis hostium Turcarum obsidione pressam liberare dignaretur; id nunc præcipuè cum iidem Turcæ Christiani exercitus adventum antevertere satagentes, civitatem prædictam efferaciori quam unquam rabie expugnare moliantur, ferventiori spiritus ardore, majorique animi contentione faciendum censemus: ut clementissimus Dominus Noster, in cuius manu est libertate in multis, & in paucis, Turcas prædictos in multitudine contumaci, & superbia nil nisi cædes, & excidia spirantes conterat, & disperdat potentia virtutis suæ, ac fortissimis Christi pugilibus gloriosa pro ejus honore, Sanctæque ejus Ecclesiæ defensione certamina alacriter subeuntibus robur, & fortitudinem, quæ de cælo est, multiplicet, nostrosque labores, & curas, ac spem, quam in ejus ineffabili bonitate collocavimus, læta tandem victoria solari dignetur.

Indulgentias concedit.

§. 1. Nuperrimè siquidem omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui aliquam ex Ecclesiis, seu Basilicis Sancti Joannis in Laterano, ac Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, in quarum prima, feria 6. ac Sabatho currentis hebdomadæ, & Dominica immediatè sequenti; in reliquis verò duabus, similiter feriis sextis, & Sabbatis proximè subsequenti hebdomadarum, ac Dominicis pariter immediatè sequentibus respectivè Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quemadmodum in Orationibus quadraginta horarum fieri consuevit, publicæ venerationi exponi mandavimus, devotè visitaverint, ac aliquo ex dictis Sabbatis jejunaverint, & verè pœnitentes, ac confessi, idem Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Dominica subsequenti Sabbatum hujusmodi sumperint, ibique ante Sanctissimum Sacramentum prædictum publicæ venerationi, ut præfertur, expositum per aliquod temporis spatium, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, ut copias christianas suo divino auxilio ad defensionem, & totalem liberationem civitatis Candix, & Regni Cretæ prædictorum ab oppressione Turcarum fovere, & protegere dignetur, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessimus.

Eisdem per totam Italianam largitur.

§. 2. Nunc autem divinam opem similibus pietatis operibus in universa quoque Italia, & Insulis adjacentibus implorari cupientes; Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Ecclesiarum Prælatibus, & Ordinariis Civitatum, & Diocesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum universæ Italiæ, & Insularum adjacentium hujusmodi, seu eorum Vicariis in spiritualibus generalibus præsentium serie committimus, & mandamus, ut statim atque ipsarum præsentium litterarum transumpta, seu exempla, etiam impressa, ad eos pervenerint, in aliquibus suarum respectivè Civitatum, & Diocesum, Oppidorum, Terrarum, & locorum Ecclesiis per eos designandis memoratum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum feriis sextis, ac Sabbatis, & Dominicis trium continuarum hebdomadarum publicæ pariter fidelium venerationi exponi cu-

rent. Nos enim de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui aliquam ex Ecclesiis hujusmodi eo tempore, quo idem Sanctissimum Sacramentum publicæ venerationi ibidem sic expositum fuerit, devotè visitaverint, ac aliquo ex iisdem Sabbatis pariter jejunaverint, & verè pœnitentes, ac confessi, die dominica immediatè sequenti Sabbatum hujusmodi sacra Communione refecti fuerint, ac in eisdem Ecclesiis ante prædictum Sanctissimum Sacramentum per aliquod temporis spatium prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effundendo divinam opem pariformiter invocaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem similiter concedimus, & elargimur, Regularibus verò utriusque sexus in clausura viventibus, qui pariter uno ex dictis Sabbatis jejunaverint, eorumque respectivè Ecclesias in aliquo ex memoratis diebus visitaverint, ac verè pœnitentes, & confessi, sacraque Communione in aliqua ex Dominicis hujusmodi refecti, Deum ut supra oraverint, ut eandem plenariam Indulgentiam, & peccatorum remissionem consequantur, indulgemus.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem præsentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra, adhibeatur quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Julii 1669. Pontificatus Nostri Anno tertio.

Transumptis fidem adhiberi jubet.

Dat. P. An. 3. die 17. Julii.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi 1669. Indictione septima, die verò 10. Mensis Julii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis divina Providentia Pape IX. anno tertio, supradictæ litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & S. Mariæ Majoris de Urbe, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Hilarium Cantellum Sanctissimi. D. N. Pape Curf. Alexander Albricius Curf. Mag.

Confirmatio, & extensio Decretorum Alexandri Septimi, & Cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præpositorum de nonnullis abusibus Ecclesiasticorum in Insulis Orientalibus degentium tollendis.

XXXVIII.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D.  
1669.

IN excelsa Sedis Apostolicæ specula meritis licet imparibus per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis, abundantiam constituti, vigilantia nostræ oculos per universas Christiani Orbis partes jugiter circumferimus, & sollicitis studiis providere satagimus, ut divinus cultus ubique floreat, populorum devotio excitetur, & foveatur, ac omnium Christi fidelium præsertim in remotissimis partibus degentium quieti, & animarum salutari opportunè consulatur. Hoc consilio ea, quæ pro salubri illorum directione à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, eorumque jussu piè, prudenterque decreta, atque constituta fuisse comperimus, ut firmius subsistant, & serventur exactius Apostolici munimnis nostri patrocinio corroboramus, ac opportune extendimus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ honorem, spiritualemque eorumdem Christi fidelium ædificationem, & consolatio-

Exordium

nem